

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
FEBRI BILIOSA
QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU

MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS

SPECTABILIS DOMINI DECANI

NEC NON

CLARISSIMORUM DD. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

RITE OBTINENDA

IN ALMA AC CELEBERRIMA

REGIA SCIENTIARUM UNIVERSIT. HUNGAR.

PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

MAURITIUS EIBENSCHITZ

RÉTHINO POSONIENSIS

In Theses adnexas disputabitur in Palatio Universitatis
maiori die Junii 1835.

B U D A E

TYPIS REGIAE SCIENT. UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

MEINEM
INNIGST GELIEBTEN
BRUDER
AUS
DANKBARKEIT UND LIEBE
GEWIDMET.

Vielgeliebter Bruder!

Endlich sehe ich mich dem Ziele nahe, nach dem ich so viele Jahre strebte, dem Ziele nahe, zu dessen Erreichung Du keine Mühe, keine Kosten spartest. Nun schweben all' die Wohlthaten, die Du mir im Laufe meiner Studienjahre erzeugtest, und an Zahl unendlich waren vor meiner dankbaren Seele, und ich gestehe es laut der ganzen Welt, dass alles was ich hatte, ich einzig und allein Deiner Bruderliebe verdankte. Für so viele Liebe, für so viel Gutes, finde ich nicht Worte genug die Gefühle meines dankbaren Herzens auszudrücken, und sey versichert, dass ich

nie aufhören werde Dich, Zeit meines Lebens,
als meinen Wohlthäter, als meinen lieben Bru-
der zu ehren, zu lieben.

Nimm daher diese wenigen Blätter als
einen kleinen Beweis der innigsten Dankbar-
keit gütig an von Deinem Dich ewig lieben-
den Bruder

dem Verfasser.

D e f i n i t i o .

Nomine febris biliosae intelligimus omnem morbum febrilem, qui cum tali passione systematis cholopoëtici junctus est, quo tam respectu copiae, quam qualitatis abnormis fit secretio bilis, a qua sic dictus status biliosus seu polycholia et symptomata biliosa dependet. Febris biliosa, quae in nexu suo, cum aliis morbis et apparitione suorum symptomatum, tam multiplex, tam variabilis est, tamen facile in tres has species redigi potest: in

1. Febrim biliosam cum synocha (febris bilioso-inflammatória) id est, cum praevalenti passione systematis vasorum.

2. In eam cum febris putrida (febris bilioso-putrida) i. e. in qua cum abnormi secretione bilis, symptomata febris putridae nexae sunt.

3. In eadem cum feбри nervosa (febris bilioso-nervosa) i. e. febris nervosa acuta vel lenta cum symptomatibus biliosis conjuncta.

Ad lectos aegrorum quidem febrim biliosam puram et stricte qua talem raro invenimus, nam abnormitates, quibus, opus secretionis hepaticae subjectae sunt tantopere variant, ut mox symptomata febris, mox autem haec, secretionis bilis praevaleant, nunc haec, nunc illa majus minantur periculum vitae. Hinc stricta signa febris biliosae statui non possunt, sed scimus tantum statum biliosum in universo aestimare, dignoscimus illum, in multiplicibus suis complicationibus, in quibus occurit.

Prodroma status biliosi sunt sequentia: sapor oris amarus, lingua flavicans, ructus amari, anorexia, color flavus scleroticæ et circa orbitam, saepe totius faciei, genae rubent, quasi minio obductae, annulo flavo circumdatae, praesertim frontis, angulorum oris, alarum narium, circa papillas mammae, in universo omnibus in locis, quibus tenuis tantum est epidermis, color dilutus flavus semet visui exhibet; urina crocina, serum sanguinis missi quoque flavet, saepe aliarum etiam excretionum color in flavum vel viridem alienatur, e. g. muci narium, sputarum pulmonalium; al-

tiorem in gradum si febris evehatur, tota cutis flavet, uti in ictero. Evolutus status biliosus semper cum sensu molesto in regione hypochondriaca dextra et in scrobiculo cordis nexus est; utrapue regio tensa, dura meteoristica est, sub attactu dolet, et quamplurimum calor in his regionibus adauctus; aeger anxie conqueritur de sensu tensionis, pressionis in illis, dolores circa diaphragma, saepe altius quoque in cavo pectoris, et profundius in cavo abdominis fiunt pungentes, quod germanice (Gallenstiche) appellatur. Aeger non minus quam medicus persentiunt pulsationem in scrobiculo cordis; hepar tumet et dolet, et maxime sensibile est in regione cystidis felleae. Omnia haec manifeste indicant affectionem localem systematis cholopoëtici. Lingua spurca albo-flavicans, viridis vel brunea, vel tantum sulcos aut lineas aliquas utroque in latere, aut radix, in gradu tamen maximo ex integro obducta est. Dentes et reliquum cavum oris, praecipue mane, mucro tenaci viscido obsessa, halitus insimul foetidus. Haec immundities est sequela abnormis secretionis, quae si etiam toties quoties per diem auferatur, tamen toties aucta in conspectum prodit. Essentialia haec saburrae symptomata non sunt, nam potest verus status

biliosus adesse, quin adsint haec enumerata symptomata, nec necessarium, ut affecto hepate spurcata sit etiam lingua. — Sapor oris est amarus, nauseosus, saepe saepius plane putridus, omnem, qui etiam secus forte adesset appetitum adimens, lingua sub hoc statu jam spurca jam munda, et non potest aliter considerari, quam signum abnormis secretionis hepaticae, vel etiam morbose alienati sensus gustus. Quantitate, et quamplurimum et qualitate aberrans secreta bilis in duodenum infunditur, hinc et sursum et deorsum per totum tractum alimentarem, et taliter multa producit signa tam localia, quam consensualia. Et quidem consensualiter fastidium ciborum, debilem aut prostratam digestionem, nauseam, ructus, vomituritiones et vomitum biliosum, cardialgiam, enteralgiam, diarrhoeam biliosam cum vel absque tenesmo; infusa bilis porro producit borborygmos, flatus foetidissimos secedentes. Quantitas bilis effusae tam variabilis est, ut nonnunquam intra brevissimum tempus tanta se-et excernatur copia; ut videantur omnes humores in bilem conversi fuisse, et corpus penes hoc mox primis diebus morbi valde emaciatur. Cum faecibus eliminata bilis, jam spissa, densa, jam fluida, vel nuco

et aliis humoribus remixta, saepe pallida saepe saepius saturatoris coloris est, vitellini, fuscii, aeruginosi, nigri plane; illa vomitu ejecta saepe tam acris est, ut dentes obtundat, in faucibus et ore sensum ustionis, inflammationem plane producat cum creta effervescat. Sed occurrunt adhuc symptomata, quae partim cum febre, partim cum statu bilioso nexa sunt. Febris quamplurimum vehemens, inchoat cum frigore valido, quem aestus imo ardor continuus sequitur, qui in alia gastrica febre, nunquam tantum consequitur gradum, sitis magna, cephalaea intensissima, praecipue in fronte supra orbitas, et non raro in verum delirium furiosum transit. Magis accidentalia symptomata sunt: isthmitis; dolores in lumborum regione et in genibus, pruritus sub cute, stranguria, et dolores aut fixi aut vagi omnium articulorum.

Sub sectione pathologica exantlata gravi febre biliosa, cujus mors scenam clausit, videmus hepar monstrose turgere, colorem naturalem alienatum et ductus biliosos bile farctos. Non minus sat magna portio quoque in stomacho et reliquis intestinis, quae diversum corruptionis gradum attigit, reperitur; per parietes cystidis felleae et aliorum bilis receptaculorum, haec transudat, et vicine jacenta partes

suo imbuat colore; si ultimo stadio colliquationes adfuissent, hepar discolorum, flaccidum et molle invenitur.

A e t i o l o g i a.

Causa proxima morbi est morbosa secretio; quali autem genere morborum hepar laboret, nescimus. Videtur status inflammatorius in illo adesse, tum peculiaris crasis sanguinis requiritur, ut morbosum utique jam hepar toties et tantam bilis quantitatem secernere valeat; unde autem diversitas quantitatis et qualitatis dependeat, definire nescimus. Quod reapse status subinflammatorius jecoris adsit, demonstramus a statu morbo aliorum organorum secernentium. Nam perbene scimus, omnem leviolem inflammationem cujusdam organi secernentis, majorem producere secretionem, ubi e contra major inflammationis gradus, omnem suffert secretionem, hinc in vera et efformata hepatide, omnis bilis secretio ex integro cessat. Causa disponens hujusce morbi sita est in magna irritabilitate et sensibilitate totius systematis cholopoëtici, statum quem fors juste statum hystericum hepatis appellare possumus, nam levissima quaeque causa, quae alias nec in correlationem cum hocce systemate sunt, uti

leve refrigerium, mox hepar adgrediuntur, et auctam bilis copiam producunt. Omnis porro febris mox influit in hepar, et notam biliosam inducit, talis autem status hepatis vel maxime cholericis proprius est. Causis excitantibus adnumeramus:

1. Temperaturam atmosphaerae auctam, insimul favet humiditas et repentina mutatio cum frigore, hinc copia et vehementia febris biliosae sub tropicis, praecipue ibi ad littora maris; hinc etiam epidemiae hujus morbi autumno, diebus calidis, noctibus frigidis, praecessa aestate fervente; absque dubio existit miasma specificum, valens producere febrim biliosam, quod certo ita et tali ratione in hepar agit, prout miasma catarrhosum¹ in organa respirationis, tali ratione exoriuntur epidemiae biliosae sub diversissima tempestate, et ex uno loco, et ex uno idivido, in alios transfertur.

2. Omnis febris potest causa febris biliosae fieri, quum hac ratione diverso modo systema cholopoëticum adficitur.

3. Totum quod tractum intestinale irritat et debilitat, uti abusus salium, antimonialium, mercurialium, emeticorum, purgantium, solventiumque. Bilis, quae per emesim eva-

cuatur, saepe saepius productum actionis emetici in hepar est.

4. Vulnera capitis et encephali, item omnes notabiliores laesiones corporis totius (febris biliosa traumatica).

5. Omnis adstrictio mentis nimia, praecipue animi adfectus, uti: ira, moeror, indignatio etc. quoque valent hunc morbum producere.

6. Morsus serpentum venenatorum et aliorum animalium rabidorum.

7. Cibi diversi concoctioni difficiles, uti caro copiosa, cibi pingues, oleosi, leguminum, piscium et spirituosorum abusus.

8. Omnes peculiare mutationes in organismo humano contingentes, facile statum biliosum producant, uti prima menstruatio, graviditas, febris puerperalis.

9. Tandem per morbos topicos hepatis, lienis et reliquarum vicinarum partium, uti per illarum tumores, per calculos felleos, indurationes, et per alios morbos producutur.

P r o g n o s i s .

Haec variat pro ratione characteris, gradus et complicationis; mitior febris biliosa et vehementissima, celeriter, saepe intra aliquot dies terminantur; haec in mortem, illa in sa-

nitatem. Bonum si nanciscatur exitum et in sanitatem transeat, ipsae crises statum biliosum praesentem satis indicant, nam vomitus et diarrhoëa critica, uti hic semper est, copiam magnam bilis evehunt. Sudor criticus lectisternia alba in flava mutat, urina non minus bile remixta, quae subsidet et linteum pari ratione colarat; saepius decursum longiorem percurrit, chronica fit, per haebdomadas, menses et annum aegrum affligit, et miseram illi praeparat vitam; nonnunquam quidem febris ipsa aegrum debilitatum satis derelinquit, ast multa alia permanent mala, aegrum non minus in statum miserrimum conjicientia, uti sunt perturbationes organorum digestionis et chilificationis et hinc: gastralgiae, hepatalgiae, alvus pertinaciter obstipa vel diarrhoica, vomitus saepe chronicus, icterus, cephalae, ematiatio totius corporis, febris hectica brevi mortem inducens. Non raro febris biliosa transitum facit in morbos alios, in hepatidem quidem frequentissime, quae quamplurimum tunc malos nanciscitur exitus, indurationem quippe et suppurationem non raro calculi fellei efformantur cum monstroso incremento hepatis, obstructione biliosorum et sarguiferorum vasorum, in quorum sequela haud infrequenter hydrops cum

aliis chronicis morbis sequitur. Denique existentialitatem et ad subdolan febrium indolem, status hic non parum confert; synocha videlicet, et typhus, qui in sanitatem traduci facili negotio potuisset, lethales evadunt, per accessum status biliosi, quum febrim adaugeat, unum nobilissimorum organorum corporis humani laedit, illud ad functionem suam ineptum reddat, massam humorum quodammodo consumat, et colliquationes acceleret; sed in universum synocha biliosa minus periculum minatur, quam talis typhus.

T h e r a p i a.

Evacuationes bilis in febre biliosa per et pro se ad restituendam sanitatem necessariae minime sunt, saepe enim, totidem signa sunt, magnae ac validae affectionis hepaticae. Se-et excreta enim vero bilis, quae in tubo intestinali accumulabatur, potest qua substantia aliena nocere, et debet qua nociva e corpore eliminari, ejus tamen eliminatio morbum adhuc non suffert. — Certa methodus febrim descriptam sanandi non exstat; sed ratione naturae febris, etiam sanandi methodus variare debet, prout nempe haec inflammatoria, nervosa aut

putrida est. Hinc generales indicationes sequentes sunt:

1. Debemus inquirere in correlationem causalem febrim inter et statum biliosum, et omne id remove, quod statum biliosum suscitavit et sustinet.

2. Praesentem in tubum visceralem effusam, corruptam bilem evacuandam esse, nemo negabit.

3. Tandem morbus topicus hepatis quoque sufferendus, ut bilis secretio normalis iterum fiat.

Si satis aestimaverimus correlationem causalem inter febrim et statum biliosum, facili modo carere poterimus remediorum evacuantium, ubi ea prius summe necessaria videbantur. Si affectio hepatis alium, febris alium iterum agnoscat fontem, tunc evacuationes, non tantum non prodesse, sed potius nocere poterunt, quum febris existens per aliam producta sit causam, non vero per bilem copiosam, quid quaeso juvabit hujus evacuatio? febris per hoc potius exasperabitur; dependet vero febris a statu bilioso, vel ab affectione hepatis, tunc

bilis copiosa est productum morbi hepatici; jam vero si produatum morbi sufferatur, non suffertur morbus, quousque causa morbum producens in organismum egerit. Si febris e contra statum biliosum produxit, cessabit hic, cessante illa, sinequam ut evacuationes inomissime necessariae fuissent. Si ergo aestus febrim biliosam produxit, tunc ex opposito remedia refrigerantia summum quem poterunt effectum praestabunt; producta autem feбри biliosa per saburram gastricam aut per alia irritamenta ventriculo aut systemati cholopoëtico proxime addita, tunc evacuata saburra, cessabit stimulus, ac proin etiam abnormis bilis secretio, et sic porro remota et cessante causa, cessabit effectus.

Indicatio altera requirit evacuationem bilis vel per emetica vel per purgantia, (olim nunquam exhibebantur evacuantia, quousque per solventia aeger ad hoc non praeparabatur). Signa turgescientiae sursum versus sunt: lingua spurca, sapor oris amarus, ructus, nausea, vomituritio, sensus ingratus In scrobiculo cordis, respiratio difficilis, frigus extremitatum, capitis temulentia, vertigo, inquietudo, lypotimiae, tremor linguae et labii inferioris, spu-

tatio frequens, in his ergo circumstantiis exhibetur emeticum, subsequente aut morbi fine, aut leviore illius gradu, vel etiam non raro illius exasperatione. Signa turgescientiae deorsum versus sunt: alvus irregularis, tensio, dolor, borborygmi in abdomine, dolores lumborum genuumque, pulsus irregularis, et his sub circumstantiis exhibemus purgantem medicinam, eodem cum successu, quo emetica exhibita fuerunt. Si ergo methodus evacuans in febris biliosa cujusdam sit emolumenti, tunc juxta has regulas applicari debet:

1. Si signa turgescientiae reapse nobis indicant, quod omnino saburra in corpore adsit, tunc in casu primo emeticum, in posteriori purgans indicatur; sistente semet vomitu spontaneo, satis erit illum per potum largum aquae vel theae tepidum suffulciri; insimul tamen sciendum, quod per hanc evacuationem saepe non causa sed productum morbi suffertur. Si vero

2. Febris sit inflammatoria, ante emeticum, methodus antiphlogistica adhiberi debet, et hoc pro gradu morbi, vel per phlebotomiam vel

per hirudines; saepe saepius post venae sectionem spontaneus vomitus insequitur, qui tunc per aquam tepidam adjuvari debet; producto vero tunc vomitu ante venae sectionem, vomitus est difficillimus, sub spasmis et convulsionibus contingens et absque levamine aegri; saepe plane vomitus non sequitur, et tunc aeger plurimum in vitae periculo versatur.

3. Si necessitas emeticum porrigendi adesset, aeger tamen per longius tempus alvo obstipa laboraret, tunc ante omnia per clysmata alvus reseranda est; porrigitur emeticum antequam alvus aperiretur, tunc itidem vomitus difficillimus, imo saepe ileus sequitur.

4. Vomitus hujusmodi difficilis est sequela spasmi, qui ventriculum et totum abdomen detinet, si tunc temporis, summa praesente alias indicatione, emeticum porrigeretur, praeter stimulum praesentem, adhuc alia irritamenta adderentur, quae tristissimas post se traherent sequelas.

5. Purgantia in febris biliosa in genere raro indicantur, jam ipse fons, corruptae bilis, qui hic in hepate latet, denotat majorem utilitatem emeticorum, et si purgantia jam ad-

hibeantur, debent cum magna circumspectione, et nunquam diutius usurpari, nam nulla adest necessitas, ut haec diutius continuarentur; si enim aliqua bilis portio, etiam e superiore tubi parte ad inferiorem pertingeret, facile poterit, per unum alterumve purgans amoveri. Saepe contingit etiam, ut bilis peculiari acrimonia praedita, in inferiorem tubi partem perveniens, qua stimulus alienus agat, et diarrhoeam sic dictam biliosam, quae saepe saepius valde profusa evadit, concitet, tunc purgantia exhibere, est stimulos supra stimulos accumulare, et sic morbum novum, qui abfuit, et abesse porro potuisset, excitare. Nec possunt ut emetica eo conferre, ut morbum biliosum sufferant, sed potius eum exasperent, quum organa digestionis debilitent, et majorem procurent affluxum humorum. Si febris characterem suum phlogisticum post factas evacuationes retineat, tunc acida vegetabilia, mineralia, emollientia, mucilaginoso optimum solent praestare effectum.

6. Si fors characterem febris assumeret asthenicum, attendimus, utrum haec nervosa vel putrida est, tunc roborantia, antiseptica, nervina, ut: arnica, valeriana, angelica, liquores aetherei, camphora, moschus indicata sunt,

praecipue vero vinum generosum , externe revellentia , vesicantia , synapismi et alia.

Indicatio tertia est morbum topicum hepatis sanare, quod utique prioribus duabus indicationibus jam factum pro parte est, nam si febris fuerit asthenica, certo haec asthenia totum detinet corpus; et omnia hinc organa, ergo etiam hepar, ac proinde remedia in genere stimulantia, quae adhibebantur contra febrim etiam agunt in hepar, et sic se res etiam habet in caractere febris opposito, sthenico videlicet. Si vero propter abnormem accumulationem bilis in tubo alimentari, evacuantia indicantur, tunc etiam haec proficua sunt hepatis, praecipue vero emetica, cum haec stimulo suo, et etiam (ut ita dicam) mechanica sua concussione, actioni suae abnormi aliam dant directionem. — Si simul cum febre sthenica regio hypochondriaca dextra tumeat, doleat, dura esset, tunc sanguinis evacuatio topica, hircidinum ope, dein pro re nata fomenta aut frigida, aut calida, cataplasmata emollientia aut emollienti-narcotica indicantur; caractere sub iisdem circumstantiis asthenico, fomenta spirituosissima, aromatica, vinosa, inunctiones unguentorum irritantium, in usum trahuntur; subinde

maxime utiles se monstrant acidulae martiales, aut balnea martialia.

Per methodum hac ratione adhibitam, morbus deducitur ad stadium reconvalescentiae, attamen aeger dietam congruam longiori tempore observare debet; ita in feбри biliosa sthenica alimentis blandis utatur, et successive ad usum magis nutrientium transeat; in feбри biliosa asthenica vitae regimen magis roborans esse debet.

T h e s e s.

1. Laesiones cordis non sunt semper lethales.
 2. Datur scarlatina absque exanthemate.
 3. Nullum datur remedium universale.
 4. In inflammationibus intensis cura expectativa non est commendanda.
 5. Martialia irritabilitatem exaltant.
 6. In extractione cataractae sectio carnea semilunaris inferiora versus facta, praeferenda sectioni tali sursum versus institutae.
 7. Omne remedium est specificum.
 8. Exploratio topica nunquam negligenda est.
 9. Existit stadium, in quo exanthemata sunt mala mere topica.
-